

De varice interno morborum quorundam caussa ... / disputabit Joh. Ehrenfried Pohl ... respondente ... C.C.F Menz.

Contributors

Menz, Karl Christian Friedrich, 1757-
Pohl, Johann Ehrenfried, 1746-1800.

Publication/Creation

Lipsiae : Litteris Solbrigianis, 1785.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/h5t6p6uk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
VARICE INTERNO
MORBORVM QVORVNDAM
CAVSSA

AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI

P R O L O C O
I N E O D E M O B T I N E N D O

DISPVTABIT

D. IOH. EHRENFRIED POHL
BOTAN. PROF. PVBL. EXTRAORD. PHYSIC. PROVINCIAL.
ET APVD LIPSIENSES MEDIC. OBSTETRIC. ADI.

RESPONDENTE
CAROLO CHRISTIANO FRIDERICO MENZ
LONGOSALISSENSI - MISNICO
MED. BACCALAVREO.

LIPSIAE D. XXIII. SEPTEMBR. A. O. R. CIOICCLXXXV

LITTERIS SOLBRIGIANIS.

Yvon Pohl

VARIETY IN THE

THEORY OF THE

1781

ACT OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE

THEORY OF THE


THEORY OF THE

THEORY OF THE



§. I.

Medicum practicum tunc demum artis suae peritum, in eaque tractanda exercitatum dici jure posse, si anatomicis atque physiologicis principiis probe instructus, mutatam corporis animalis indolem ac morbosam rationem penitus atque vno quasi intuitu, ad aegrotum delatus, cognoscat ac dijudicet, omnes consentiunt, qui difficultatem cum studio atque exercitio rei medicae conjunctam intelligunt. Nullum vero morbum cognoscere, ejusque sanandi methodum definire nobis licet, nisi in causas ipsius, saepissime latentes, inquirere concedatur. Haec est haud dubie consensu omnium autorum ac observatorum difficillima pathologiae pars, siue explicandae naturae morbi, siue curandi ejus rationem spectemus. Contra ea certissimum est, doctrina de causis morborum recte cognita atque assidua observatione usuque percepta, medicum felici cum successu artem exercere multosque antecellere, qui, desti-




tuti hac cognitione ad aegrotum vocati, incerti ac dubii, quid in re praesenti consilii capiendum sit, hoc vel illud medicamentum eligunt, nec morbo tamen mederi possunt. Multorum quidem morborum causae ita in promptu sunt, ut, collatis inter se iudicii rationibus, proxima morbi causa statim agnosci queat, atque adeo ejus medela facilis reddatur. Innumerae vero causae nos latent, partim, quoniam nobis absconditas rerum origines indagare ob limites cognitionis humanae nimis arcte circumscriptos non permittitur; partim, quoniam hac ipsa notitiae nostrae tenuitate inducti, causas principes interdum accidentalium loco ac numero habemus, partim, quoniam nobis vel plane non, vel difficulter saltem persuadere possumus, ex hac vel illa causa talem effectum proficisci posse, cum nexum omnium, quaecunque in morbo eueniant, non semper accurate perspicere queamus. Euenit inde saepenumero, ut, instituta corporum demortuorum sectione, longe aliam morbi sedem causamque deprehendamus, ac propter rationes incerti et ancipitis iudicii mox commemoratas opinati eramus. Interim sola dissectio cadauerum, quoad fieri potest, frequentissime instituenda ab antiquissimo inde tempore vsque ad nostram aetatem multas antea occultas morborum causas, originem item ac sedem olim incognitam detexit ac deteget impostherum, ut sperandum sit, medicam artem, si studium anatomicae dissectionis ad pathologicam rationem accommodetur, uti jam saepissime fieri solet, et ex obseruationibus collectis conclusiones eliciantur, ad summum perfectionis gradum euectum iri.

Inter causas occultas variorum incommodorum referendi mihi videntur varices et imprimis varices in internis partibus latentes, quorum quidem autores ita mentionem faciunt, ut eos morbis interdum occurrentibus annumerent, nec tamen tanquam causas eorum recenseant. Oblata enim est mihi opportunitas, sectionibus cadauerum institutis, interdum observandi, eos, in internis partibus haerentes, morbos procreasse. Quae res quum paullo diligentius dispicere me iussisset, quatenus varices quorundam malorum fontes fieri possent: per praesentem scribendi occasionem de hoc ipso argumento, vberiori tractatione, ut mihi quidem videtur, haud indigno, quoad academicae exercitationis limites permiserint, differere animum induxi.

§. II.

Nomen varicum.

Ac primum quidem si veterum scripta curiose perlustramus, descriptionem quidem venarum tumentium hinc inde inuenimus, in externis partibus observatarum, neutiquam tamen ullam varicum internorum illustrationem, ab illis exhibitam, deprehendimus. Nam viri, de re medica pariter ac chirurgica bene meriti, plerumque loquuntur de varicibus in cruribus pedibusue subinde animaduersis. Jam etsi frequentissime ibi obuenire solent, nullam tamen partem corporis animalis neque externam neque internam ab hoc incommodo liberam esse, observatione repetita edocemur. Fiunt causae morborum, destructiones pariunt diuersarum partium, va-



riisque in locis occasionem praebent tumoribus varii generis, vlceribus, scirrhis &c. vti disquisitione post mortem suscepta patet ac luculentius pateret, si saepius dissectiones cadauerum concederentur.


In HIPPOCRATIS *) scriptis per vocem *κιστός* intelligitur tumor, a vena dilatata in cruribus ortus, paululum eleuatus. AUR. CORN. CELSUS **), plurimique illius aevi scriptores idem per varicem intelligunt, tumorem scilicet in feminarum pedibus praecipue tempore grauiditatis oriri solitum, mollem illum, coerulefcentem, inaequalem, qui, dum a foetu in vtero incluso venae inferiorum partium plus vel minus profunde premuntur, a sanguine stagnante et ibi collecto efficitur.

Ixia ab ARISTOTELE, varix, ramex, varicula ab autoribus latinis nominantur hi tumores venarum, praeter quae nomina nullibi accuratam rei ipsius descriptionem inuenire licet. Videamus igitur, an descriptionem paullo accuratiorem tradere possimus, vnde indoles morbi clarius cognoscatur, simulque eluceat, quomodo varices aliorum morborum caussae existere queant.

§. III.

*) In libro *περί ἑλκῶν* Sect. XVI. pag. 678. edit. v. d. Linden.

**) de Medicina; Edit. Exc. KRAVSI, Lips. 1776. L. VII. cap. 31. Conf. GERARD. v. SWIETEN in Comment. ad Boerhaav. aphorism. Tom. IV. pag. 480. HEISTER. iust. chirurg. Amstel. 1739. 4. p. 1169.




§. III.


Differentia varicis ab aneurysmate et hydatide.

Si descriptiones varicis, ab antiquis autoribus aequae ac recentioribus *) propositas, inuicem comparamus, illos fere omnes contendere animadvertimus, varicem in vena esse idem, quod aneurysina in arteria ac hydatidis in vase lymphatico est, dilatationem nempe vel tunicarum venae, vel luminis totius vasis. Cum vero vena et structura et situ ab arteria et vase lymphatico differat, cum porro causae ac symptomata plane discrepent, age disquiramus, annon hic ipse, de quo nobis sermo est, morbus de aneurysmate ac hydatide diuersus sit. Quod si ad originem atque indolem morbi attendimus, statim intelligimus, omnem venam facilius extendi, quam arteriam,

*) Confer. HIPPOCR. l. c. A. C. CELSUS l. c. LOWER, in Tractat. de corde C. 2. HILDANUS centur. 4. Observ. 85. IOH. MURNICKS in Chirurg. ad prax. hodiern. accommodat. Amstelod. 1715. 4to. v. SWIETEN l. c. T. I. p. 166. Conf. M. AUR. SEVERINUS de abscessuum recondit. nat. Lugd. Bat. 1724. 4to. p. 216, 217. 227. cet. Cl. F. B. DE SAUVAGES in nosolog. method. Lugd. Batav. 1768. 4to. varicem, cystidem venosam appellat. T. I. Gen. XXX. p. 97. 163. I. LIETAUD. Synops. univers. prax. med. Amstel. 1725. 4. p. 306. MORGAGNI de sedibus et causis morborum, Venet. 1761. Fol. L. IV. vbi de tumoribus agit. CULLEN, nosol. method. gen. XI. p. 246. Systematic Elements of the Theory and Practice, by JOHN AITKEN cet. Edinburgh 1779. 8. p. 128. sqq. ANTON. DE HAEN Praelection. in H. Boerhaave Inst. pathol. edit. ab F. de WASSERBERG Tom. I, p. 549. IOH. ZACH. PLATTNER inst. chirurg. ed. 2. 1783. 8. cura Exc. KRAUSII §. 419. in not. it. BOERHAAVE in prael. acad. T. VI. p. 82.



teriam, quum ejus tunicae, eadem quidem ratione numeri, quae in arteriis, sint tenuiores tamen ratione structurae, quam in illis; itemque inprimis, vti satis constat, ob tenuissimam tunicam musculosam, excepta venae cauae illa parte, quae cordi proxima est, ac vena portarum. Probat tenuitatem tunicae musculosae minor elasticitas venae quam arteriae, pulsus defectus, sicut pellucens per venas sanguis minorem densitatem tunicarum in vniuersum ostendit. Alterum argumentum desumitur a sanguine venoso ad lentorem prono, quoniam mixtio ejus per secretiones factas mutata, glutinosaque ipse inprimis parte orbatus est: vnde et regressus ejus in venis, causa leuissima interdum accedente, consueto difficilior fit, imo plane saepe impeditur; collectus nunc vel in vna, alteraue parte venae sanguis vel in pluribus venis simul, haeret, stagnat, adfluente nouo sanguine particulae sanguinis, jam spissae factae, augentur, spissiores fiunt, atque ob lentorem coagulantur. Cum enim hanc ob causam acidam indolem assumat, serosa ac lymphatica pars superstes, ad coagulum prona, facillime hanc subit mutationem, cujus rei indoles in considerando diuerso varicum gradu mihi attendenda esse videtur. Propter has igitur causas, inprimis vero propter deficientem vim elasticam vena facilius dilatatur, quam arteria; tunicae ejus crassiores fiunt, quia tela cellulosa, vnicuique earum substrata, multo minor ac tenuior quam in arteriis, cum membranis citius atque arctius cohaeret, ac mox vere coalescit. Inde fit, vt tumor varicosus celerius crescat in illam magnitudinem, quam consequitur plerumque tumor aneurysmaticus arteriae, in qua copiosior tela cellulosa substrata ac vis muscu-



musculosa elasticitatem ejus longius sustinet, atque adeo extensioni resistit. Etenim si vena vel externa, vel interna, subito extenditur, aut sanguis in venas collaterales transit et plures formantur tumores varicosi, aut mox illa rumpit, sanguinemque effundit; id quod in aneurysmate non observamus, cum vna tantum arteria, nunquam plures dilatentur, aneurysma per plures annos lente crescat et diu gestetur, nec tamen tam diuersa incommoda, quam varix, producat aliisque morbis occasionem praebeat. Quod vero ad sedem morbi attinet, disquiramus nunc, vtrum varices solum inter valuulas reperiantur, an etiam in aliis locis venarum appareant. Videtur quidem sanguis faciliori ratione ibi colligi, stagnare et in circuitu impediri, quam in reliqua parte, si ad structuram valuularum respicimus, et eos sequimur, qui ita statuunt *): vero praesentia varicum in vena portarum ac vena pulmonali, quae valuulis carent, contrarium probat: imo distensio valuularum ac ruptura, si euenerit, effectus potius varicis, quam causa proxima ac sedes haberi debet. Sed videamus de vltiori analogia vel differentia aneurysmatis, hydatidis et varicis. Aneurysmatis quidem veri, siue tumoris, qui sanguinem rubrum in dilatata arteria continet, hae sunt notae: arteria si dilatatur, vbique aequaliter lente intumescit, et sensim formam oualem circumscribit, ita vt limites
exter-

*) Vid. HENRIC. MEIBOM. Dissert. de valuulis vasorum earumque structura cet. Helmstadii 1682. § 63. et *Ejusdem Dissert. de motu sanguinis naturali ac praeternaturali* ibid. 1668. §. 76. quae inueniuntur in Ill. HALLERI Disput. anatom. select. Vol. II.




extensionis definiri possint, siue magnus, siue parvus sit tumor: color cutis non mutatur, pulsus sentitur digito admoto ac continuata pressione tumor euanescit, saltem ad tempus. Nam ob vim arteriae musculosam ubique eandem elasticitatem, minori tantum gradu quam in statu sano, seruat. Equidem haud ignoro, pulsus pro signo certissimo tumoris aneurysmatici haberi: idem tamen non temere existimo, fallax hoc et incertum signum esse, cum si ille in aneurysmate vero circumscripto celeriter, vt interdum fit, crescat, pulsus vel valde debilis fieri soleat, vel plane tollatur, vel contra ea in tumore vnoquoque alio, aut abscessu profundo, super quem arteriae repunt, aut inprimis in sacco polyposo, qui crescendo arterias cutaneas versus anteriora attollit, vti experientia edoctus scio, tactu percipiatur *).

§. IV.

Definitio varicis.

Intelligimus vero per varicosam venam praeter modum a sanguine spisso dilatata ac extensa, indolentem illam ac tumentem hinc inde, relictis variis interstitiis, ita vt serpentino tractu hinc eleuata, inde depressa, flexuosa, undulata quasi et nodosa, ac veluti per partes spastice contracta appareat. Omnis eiusmodi tumor seu varix, mollis, colore vel variegato, vel ex rubro

*) Confirmat hoc ILL. PLATNER I. c. §. 422. ILL. RICHTER in seinen Anfangsgründen der Wundarzneystunst, Göttingen 1782. 1 Theil. §. 514.




rubro coerulefcente infignis, inaequaliter ferpens quidem, limites tamen canalif venofi femper definiens, vnde et ab ecchymofi differt, cuilibet vel leuiffimae preffioni cedens, pulfu carens, ab aliis tumoribus congeneribus differt. Hydatis denique vel tumor vafis lymphatici obftructi qui tantum in fine eius, nunquam in media aut alia parte, fub forma bullulae fphaeroideae inuenitur, nec unquam fanguinem, fed ferum lymphaticum in fe continet, facillime a varice diftinguitur.

§. V.

Cauffae varicis praedisponentes.

Perlufrata cauffa morbi proxima, nunc ad cauffas praedisponentes atque occasionales progrediamur. Inter priores quidem referimus laxitatem venarum generalem, inprimis vero partialem in quibusdam corporis partibus deprehendi folitam, e. g. in abdomine, pedibus, vefica vrinaria, membranaceis partibus, fuperficie cutis cet. porro plethoram ad vafa, vnde et in fene varix faepius, quam in juniore occurrit, fanguinis fpiffitudinem et difpofitionem ad coagula, in venis frequentiore ob aequabilem et lentum motum. Haec plethora ad venas confpicua, per quam *πλοαιμία* veteres intelligunt, i. e. plethoram ad vafa, cauffa varicis fit in homine folito debilioris habitus, in quo venae, laxiores femper quam arteriae, a copia fanguinis denfi ac bene mixti nimis diftenduntur, tandemque, omni fere elasticitate amiffa, tument ob fanguinis recurfum retardatum vel plane impeditum. Ejusmodi enim fanguis particulis nimis bonis, fi ita dicere fas eft, ac oleofis



abundans facili negotio spissus et ad coagula pronus red-
ditur. Transit quidem semper adhuc pars sanguinis in
venas laterales, sed idem nascitur ibi incommodum,
vnde et plures venae varicosae simul existunt; quo fun-
damento nititur distinctio varicis in solitarium atque no-
dosum *) vel ramosum. Impeditur vero etiam in ve-
nis regressus sanguinis, si nimio impetu sanguis arterio-
sus versus venas mouetur, dum suppressa v. c. perspi-
ratione in vno alteroue loco motus intestinus sanguinis
augetur, vel si motus muscularis circulationem non ad-
juuat, quapropter stases et coagula oriantur, venaeque
dilatentur ac tumeant necesse est. Si porro vel nimia
pars terrea, vel materia acris, scrophulosa, arthritica,
scabiosa, vel alius indolis, in sanguinem conuersa mix-
tionem eius mutat, spissum illum reddit, in venis, etiam si
per arteriarum vim musculosam propellitur, facillime
haeret ac thrombum format, cui ejusdem naturae ad-
fluens sanguis adhaeret, obstructionem efficit, venam
dilatat, ac varicis ortui occasionem praebet. Annon
interdum concretiones polyposae, in venis majoribus,
refluxum sanguinis prohibentes, caussis, haecenus com-
memoratis, adnumerari ac varicem in minoribus venis
producere possint? ea vero quaestio est, quae accura-
tiori medicorum examine non videtur indigna. Illud
autem facile puto intelligitur, venarum tumores sae-
penumero ab inuoluntariis musculorum contractionibus
sue

*) Vid. F. B. SAUVAGES libr. c. Amstelod. 1768. 4to Tom. I. pag.
163. it. I. I. PLENCK Nov. Syst. tumor. Vienn. 1767. 8vo.
pag. 144.

siue motibus spasticis procreari. Venae enim, vti satis superque constat, musculis propius adjacent, ac quasi inter superque eos repunt, quam arteriae, profundius sub musculis positaе, ideoque plus patiuntur, quam hae, si spasmus diutius durat. Pertinent huc spasmi hysterici, hypochondriaci, itemque illi, qui ab acri lymphā, ad interiora viscera conuersa, oriuntur, motus epileptici, conuulsiui inprimis feminarum, quae defectu menstruorum laborant, nec non grauidarum, durante partu et post eum existere soliti. In hoc ultimo casu spasmi ad partem quandam definitam venae, vel ad quasdam venas sanguinis affluxum efficiunt, vnde euenit, vt venae, nimis irritatae, elasticitate priuentur, laxae fiant, et ad sanguinem inter cauum suum retinendum disponantur. Tumores metastatici post morbos acutos ad viscera orti, aliique praeternaturales, cystici, scirrhusi, ac carcinomatici in interioribus cauis producti ac latentes, qui pressione ramis venarum nocent, regressum sanguinis impediunt et ad varicem disponunt. Morbosa inde a natiuitate dispositio partium corporis animalis, et mala conformatio ossium capitis, spinae dorsi, pectoris, peluis atque extremitatum, inprimis inferiorum, praeternaturalis directionis vasorum causae fiunt, ideoque difficilem, retardatam ac impeditum regressum sanguinis per venas efficiunt. Neque minus euacuationes, vti inprimis sanguinis, ita et aliorum fluidorum, crebrius impeditae, inter causas praedisponentes referri debent; item vigor motus peristaltici in ventriculo et intestinis suppressus, respiratio anxiosa ac languida, aer in intestinis retentus, et id genus alia, quae diligentem sane medici attentionem merentur.




§. VI.

Causae occasionales varicis.

Quod vero ad occasionales causas attinet, inter eas numero omnia, quae antea enarratas praedisponentes gignunt, et per pressionem, in venas factam, regressum sanguinis ad venam majorem minuunt, vel plane supprimunt. Huc itaque referri debent ea, quae haemorrhoidum originem accelerant, vita sedentaria, pectoris et abdominis compressio, nimia quies itemque nimius motus post pastum, inprimis nisus foecum excretionem crebrius cohibendi, regimen nimis calidum, potus calidioris copia, balnea valde calida, usus crebrior medicaminum valde irritantium ac relaxantium, acidorum, dulcium, opiatorum e. g. cet. abdominis, pectoris, extremitatum inprimis inferiorum strictior ligatura, inordinatus fluxus menstruus, grauiditas, membri cujuscunque violenta extensio, onerum gestatio in tergo, capite, casus ab alto, ictus, et vti Cl. PLENCK *) contendit, incessus diuturnus in lacu, in quo hirudines latent; saepius repetita venaesectio, applicatio intempestiua ac crebra cucurbitularum et hirudinum, qua interdum vti solent, qui haemorrhoidum fluxum supprimere student; scarificatio inepte adhibita, e. g. in ophthalmia sanguinea, vt plus vna vice obseruare licuit, applicatio aquae frigidae ad coercendum sudorem pedum, aliarumque partium. Praetermittam nunc plures errores, qui quotidie committuntur, nec damna viliora afferunt.

§. VII.


*) in l. de tumoribus pag. 143.



§. VII.


Effectus varicis.

Jam vero effectus breuiter colligamus, qui has causas praegressas sequuntur. Simulac igitur sanguinis stasis gignitur, neque ab initio tollitur, venae premuntur, reditus sanguinis et praestanda resorptio per venas minores impeditur, obstructio ac repletio venae, seu accumulatio sanguinis crassi oritur, quae ejus tumorem seu varicem efficit. Resistit interdum, ac fere semper vena, nisi nimis laxi habitus est, extensioni, ac promouere conatur regressum sanguinis, ad quod multum conferunt valuulae, quibus deficientibus majus utique malum oriretur. Illae enim, quoniam sese expandunt, sanguinem propellunt et suo robore violentiae externae pro viribus resistunt; nunquam enim circa hos nodulos ita extendi venas animaduertimus, si venam varicosam accurate disquirimus, uti plerumque putant, ob majorem ibi a valuularum ortu et principio proficiscentem crassitiem ac densitatem. Si itaque quibusdam videantur venae eo usque dilatari, ut valuulae dimittere sanguinem cogantur, erroneam puto esse sententiam, quum illae tunc demum dilatantur, cum non rumpuntur, aut ob debilitatem parietibus vasorum applicantur. Quapropter, si valuulae venosae in varice patiuntur, id effectum morbosum potius, quam causam dicerem. Varicosi tumoris effectus sensim, non subito mutantur ac grauiores fiunt, qui ab initio vix attendendi videbantur; quamdiu enim tumor formam suam non mutat, tamdiu sanguis consueto paullo spissior, fluidus tamen




tamen adhuc, venas vicinas quaerit, eas extendit, atque adeo rete quasi venosum, siue in externis siue in internis partibus oriatur, vti id saepe obseruare licet, formatur, atque tumor mollis limitibus suis circumscribitur.

Simulac vero tumor increfcit, atque forma eius mutatur, cum ex rotunda in oualem vel ellipticam transit, iudicandum est, sanguinis motum iam lentio-rem factum esse ac plane impediri, ita vt coagula oriantur, sanguisque in formam solidam, lamellatam ac carni similem substantiam abeat. Si incrementum capiunt varices, maiora incommoda proferunt; acer fit in iis contentus sanguis, irritatio ac pruritus oritur, et inflammationem subeunt, quae saepe suppuratione, gangraena ac sphacelo finitur. Verum etiam tumores ipsi subito rumpuntur, ecchymosin proferunt, vel si locum elegerint, quo sanguis effluere possit, haemorrhagiam efficiunt ingentem, vel periodicam, vel continuam difficillime compescendam. Exemplo sit nobis carcinoma, in quo saepissime auxilium chirurgi aut medici requiritur, ad effluxum sanguinis magnum, grauis- simis symptomatibus, lipothymia, neruosis affectionibus cet. stipatum, ac saepius recurrentem, ita vt morstandem exinde sequatur, compescendum. Comprimuntur ab iis partes vicinae, ita vt sanguinis circulatione impedita, vel noui varices, vel tumores varii generis, dolores summi, spasmi, obstructions aliaque oriantur. Si dissectionem corporum instituimus, febre putrida, vel intestinorum sphacelo demortuorum, maculas liuidas, nigricantes in tela cellulosa ac tubercula detegimus, quibus vlt-erius disquisitis, patet, varices in venis maioribus ac mi-
nori-



rioribus adesse, ita vt primo intuitu inflammatione vera partes hae interiores laborasse videantur, ac deinde, illa in sphacelum abeunte, mors infecuta esse. Sequitur in eo morbo sine dubio sphacelus ex stasi, in venis orta, quoniam regressus sanguinis ad vasa majora impeditur; lentor vero sanguinis acris, ad resolutionem iam proni, irritatione fibram venae laxam mox destruit, erodit et telam cellulosa[m] replet, illaque symptomata gignit. Idem in sic dicta inflammatione venosa quorundam, quae tamen semper pro effectu inflammationis, nunquam pro inflammatione vera habenda est, de qua tam multum inter ILL. HALLERVM aliosque disputatum est, obseruare licet. Confirmant ea, quae diximus, luculenter obseruationes ab Exc. MORGAGNI *) hac de re iam factae, vbi egregie per sectiones, crebro institutas, demonstrauit, se loco inflammationis verae ibi, vbi nulla febris, nulla signa inflammationis praegressae adessent, venas varicosas, ecchymosin in telam cellulosa[m], vel tubercula nigricantia, liuida, putrida, quae sphacelum ac mortem produxissent, reperisse. Respiciendum est, vt puto, tunc potissimum ad bilem deprauatam, quae sese non raro in putridis et inflammatoriis morbis sanguini per resorptionem immiscet, et febrem vel irregularem ac complicatam reddit, vel, quoniam regressus sanguinis tollitur, eam plane suppressit, lentoremque vniuersalem inducit, vnde resolutoria

*) de Sed. et causis morbor. Libr. III. Epist. XXXV. sqq. de dolore intestinorum; eandem sententiam fouent ILL. RICHTER in Instit. chirurg. pluresque recentiorum.



toria destructio sequitur. Partes varici proximae, tela cellulosa et cutis ita premuntur, vt inflammatio oriatur, qua vel discussa, vel inciso varice, si paruus est, aut sponte rupto, vel abscessu formato, durities cutis in eo loco semper remanet, vasaque varicosa, partim destructa, partim seruata in cute sub forma macularum vel ramorum subtilissimorum, cruore tinctorum, apparent, et cum cute ac tela cellulosa concresecunt. Vestigia huius rei remanent in cute post apertos ac curatos furunculos atque anthraces aliosque tumores.


§. VIII.

Morbi capitis ex varice.

Quibusdam effectibus generalioribus, qui ex varice oriuntur, commemoratis, studeamus nunc demonstrare, morbos singulos per varicosos tumores gigni posse. Proposuimus autem nobis inprimis agere de varice, in internis partibus corporis occurrente, inde et solummodo disquirendum est, quatenus hic vel morbos internos vel externos procreare soleat. Qua de caussa et liceat nobis iam soli distinctioni in internos ac externos varices insistere, nec definire, vtrum prolatae ab obseruatoribus quibusdam diuisiones in communes, proprios, magnos et paruos, in ordinarios ac monstrosos e. s. p. locum habere possint, nec ne: cum non dubitem, eas saepe fundamento distinctionis carere.*). Si regres-


sus:

*.) Conf. B. GOTTLÖB FRIEDRICH RICHTER Diss. med. chirurg. de grauidarum varicibus Lipsi. 1781. 4to §. 4.



lus sanguinis ex capite per venas jugulares difficilis fit, vel plane impeditur, oriuntur saepissime dolores capitis grauiissimi, ac fixi illi vel in vertice, vel in fronte, vel in vno alteroue latere, qui nullis medicaminibus cedunt; oritur postea vertigo, syncope, paralysis, denique apoplexia. Si vterus e. g. durante grauiditate, imprimis circa finem eius maxime distentus, vel quaecunque alia pars, cuius vasa sanguine repleta sunt, omnes partes vicinas comprimit, motus sanguinis versus caput augetur, ideoque sanguinis venosi regressus ad cor nimis acceleratur, ita vt pulmo minus commode ac libere sanguinem transmittere possit, quapropter sinus venosus et auricula anterior turgent sanguine, nec sanguis venosus ex jugularibus venis regredi queat; venae et sinus cerebri, sanguine spisso reddito, relaxantur, distenduntur, ac varices formant, qui in substantia cerebri corticali, praesertim autem in meningibus apoplectice demortuorum saepius deteguntur. Sic pari ratione varices in plexibus choroideis cerebri eorum, qui apoplexia lethali subito afficiuntur, inuenimus, quibus dissectis, non sanguis fluidus, sed spissus reperitur. Ex his concludimus, obstructionem et dilatationem venularum, lente factam, caussam mortis repentinae esse.

Exc. MORGAGNI in opere de sede et caussa morbor. L. I. praeclaras de hac re nobiscum communicauit obseruationes, quae nostram sententiam illustrant. Quam saepissime enim vasa venosa minima corticis, meningum cerebri, plexuumque choroideorum varicosa in eiusmodi hominibus, qui longe ante de affectionibus ca-



pitis conquerebantur, nunc subito mortuis, deprehendit. Similiter inuenimus sanguinem grumofum, extrauafatum atque in ventriculis cerebri contentum in iis, in quibus venae plexuum choroideorum vel ruptae vel erosae erant.

Disquisitio ophthalmiae ac morborum oculi accurata conjuncta cum sectione anatomica oculi nos ducit ad absconditas causas in varice quaerendas. Scirrhus et ipse cancer palpebrarum, in primis ea species canceri, quam recentiores chirurgi *verrucosum* vocant, oritur solum a vasis varicosis membranarum oculi ac integumentorum, premuntur enim ab iis glandulae, et secretio lymphae impeditur; longe interdum latent, tandem vero, vbi nulla cura admittitur, causae euidentis fiunt. Pertinent ad morbos oculorum, ex hoc fonte deducendorum, *morum* sic dictum palpebrarum, species naeui, verrucae cancerosae palpebrarum, ophthalmiae chronicae, varicositas conjunctivae, cujus duae species existunt, simplex, ac complicata cum pterygio, quam Graeci *circophthalmiam* vocant; carcinoma vulgare bulbi, vbi vasa albuginea varicosa, sanguine atro infarcta, carnea quasi redduntur, sensim totum bulbum, ob regressum sanguinis impeditum, scirrhosum efficiunt, ita vt visus pereat*).


§. VIII.

) Confer. Exc. Ios. IAG PLENCK Doctrina de morbis oculorum, Edit. 2da. Vienn. 1783, 8vo.

§. IX.

Morbi narium ex varice.

In tribus recens natis infantibus obseruavi incommodum, in organo narium sedem suam figens, quod obseruatione dignum mihi visum, vt sequelam venarum varicosarum consideravi. Duo infantes, eadem matre intra tres annos in lucem editi, primis diebus bene valentes, die octauo vel decimo circiter post partum, primum inquieti, febrili calore vexati, deinde paulo tranquilliores facti, stillicidio sanguinis e naribus afficiebantur, quod non continuo, sed interruptis vicibus obseruabatur, atque stertore. Paulo post sanguis congrumatus ac nodulorum ad instar sternutatione eiciebatur magna cum vi per quosdam dies, quo tempore etiam per anum ejusdem formae sanguinis grumi nodosi, liuidi, longitudine dimidii pollicis, ac digiti minimi crassitie copiose excernebantur. Applicata externa ac interna medicamina nullum praestabant usum, nisi hunc, vt excretio promoueretur illius sanguinis. Detexi interea, excreta e naso, ex parte saltem, formam ramulorum minimorum vasculosorum habere, quapropter ea in aquam immisi, quo viderem, cujus indolis essent: resoluebatur sanguis, ac partes membranaceae, quae vasa tenuia sine dubio venosa erant, remanebant. Sic quosdam dies misere viuebat natum major infans, et decimo quarto die moriebatur. Parentes non denegabant sectionem cadaueris, quam ab illis petii: qua instituta, in interiori cauo intestinorum ac in superficie eorum ingentem copiam venarum varicosarum, item in pleura, atque pulmone, ac denique in meningibus et cortice cere-



bri inueni, quarum quaedam libere in cauis haerebant. Alter infans, anno praeterito natus, die duodecimo post partum iisdem vexabatur symptomatibus, excepto co, quod nullus sanguis per anum excerneretur; nasus intumescebat ad radicem ejus praesertim, accedebat debilitas summa, ob copiam sanguinis, per nares excreti, et infans soporosus fiebat, ita vt de adhibendis remediis analepticis ac roborantibus cogitarem. Comendavi inde epithemata externa ex aceto et aqua frigida, capiti ac abdomini imponenda: junxi his solutionem extr. Cort. peruuiiani cum aqua Rabelii, quibus autem haec excretio non sistebatur, sed mitigabatur. Post quatuor septimanas, quamquam interea saepissime mortem timueram, cessabant haec incommoda, infans sanitatem pristinam recuperabat, et vegetus adhuc viuit; vnica tantum vice symptomata morbi, sed multo mitiora, reuerterunt ante duos menses accedente tussi, ita vt particulae quaedam grumosi sanguinis excernerentur, sine incommodo tamen. Mater horum infantum, ceterum sana, raucedine ac paraphonia interdum afficitur, quo incommodo reliqui duo ejus infantes, qui liberi a malo commemorato fuerunt, pari ratione continuo fere vexantur. Idem postea in alio infante quasdam septimanas post partum quoque obseruavi, qui vero sanitati restitutus est, sine vilo incommodo relicto. Eadem ratione non dubito, causam haemorrhagiae narium in junioribus, dum vel in febre a dentitione orta, vel dum celere incrementum capiunt, vbi congestiones sanguinis versus caput oriuntur, in venis relaxatis ac inde dilatatis, nonnunquam saltem, quaerendam esse. Polypi narium ii, quos fere semper praecedit dolor capi-

capitis fixus, grauis ac diuturnus, ex venis varicosis oriri videntur, quae in vicinia eorum inueniuntur, et haemorrhagiam vel spontaneam, vel periodicam, vel excitatam per applicationem forcipis, in ligatione eorum comitem habent *). Haemorrhagiae narium periodicae exempla mihi duo nota sunt: curae meae traditus erat vir quadraginta circiter annorum, qui juniore aetate moliminibus haemorrhoidalibus laborabat, quae anno trigesimo cessabant; ab eo tempore de dolore capitis ab obstructione narium conquerebatur, quorum incommodorum leuamen sensit, accedente haemorrhagia periodica, id quod per tres fere annos durauit; omnes et minimae venae cutaneae faciei, imprimis vero ad radicem nasi et ad genas nigrescente turgebant sanguine. Ante tres, et quod excurrit, annos polypus pendeat valde crassus, totam cavitatem nasi replens ex narium orificio sinistro; cum chirurgus extrahere eum conaretur, haemorrhagia ingens sequebatur, ac aeger per os et nasum magnam copiam sanguinis atrii et liuidi eiciebat. Applicabantur adstringentia ad sistendam haemorrhagiam et pars polypi extrahebatur. Curatione finita, iterum per annum fere totum haemorrhagia cessabat; paullo post reuertebatur, polypus magnus e naribus pendeat et chirurgico auxilio usurpato extirpatio

*) Confer. OLOF ACREL, chirurgische Vorfälle, a. d. Schwed. übers. von D. J. A. MURRAY, Goetting. 1777. I Theil. pag. 158. Ill. RICHTER in observ. chirurg. Fascic. II. pag. 127. MORGAGNI de sed. et caus. morbor. L. I. Epist. XIV. de morbis narium et aurium.



patio ejus tentabatur, qua feliciter peracta, curaque
justa adhibita, aeger sanitati perfectae restituebatur.

§. X.

Struma ex varice.

Quamquam strumae quidem ut plurimum inter
morbos glandularum referuntur, et lymphæ spissa ac
coagulata ut causa proxima assumitur, tamen patet ex
observatione, tumores ejusmodi ibi quidem, ubi glan-
dulae magnae sitae sunt, ortos, uti e. g. ad collum, vel
etiam alibi, non in morbis glandularum numerandos,
sed ut causas eorum considerandos esse, quoniam ut
sacci varicosi, sanguine grumoso ac atro repleti, glan-
dulas vicinas premunt, motum ac secretionem lymphæ
turbant, ac plane impediunt, indeque glandularum
obstructionem ac indurationem gignunt, qua de causa
fere semper etiam aliquid scirrhusi secum conjunctum
habent.

Videtur jam a CELSO *) aliisque superioris ætatis
medicis hæc differentia animadverta fuisse: iidem ta-
men haud dubie veram ejus indolem non plane cognoue-
runt. Quæ tamen hodie accuratius observata et explo-
rata sunt, docent, reperiri speciem strumæ, quæ a
varice

*) De Med. L. V. c. 28. n. 7. *Struma, inquit, est tumor,
in quo subter concreta quaedam ex pure et sanguine quasi glan-
dulae oriuntur.* M. AUR. SEVERIN. l. c. de novissime obser-
vatis abscessibus L. I. c. 1. pag. 173. c. V. pag. 186 seqq.

varice producitur, morbumque curatu vel difficilem vel curam plane respicientem, vti laudati auctores jam annotarunt, gignit. Puerperae, si vehementibus ad partum doloribus vexantur, struma colli afficiuntur ac exinde difficultate respirandi, quae subito durante partu ipso oritur, nullisque medicamentis vel externe vel interne applicatis cedit. Crescit hic tumor interdum, causis occasionalibus accedentibus, nimio motu, celeri cursu, e. s. p. et imprimis augetur, si illae iterum partum edunt, causaque partus valde difficilis existit, quoniam vires respiratione anxia et anhelosa debilitantur, quae ad partum edendum requiruntur. Tumor hic plerumque mollis est, etiamsi cutis concolor maneat omniaque signa varicis adsint: accedit et hoc, quod venae cutaneae varicosae eleuantur, quod deglutitio ac loquela difficilis redditur, quod vi magna interdum accedente, tumor rumpitur, sanguinemque fundit. Sectione instituta inuenimus glandulas sub tumore compressas, ac fere scirrholas, vasa varicosa circa tumorem bene multa, et videmus tumorem, qui strumam mentiebatur, nil esse nisi venam dilatatam ac sanguine spisso repletam, quae mole aucta, vicinas glandulas compresserat, adeoque causa morbi facta erat. Pari ratione struma in collo talis oritur, si quis nimis celeriter ac situ minus naturali corpore inclinato se versus terram flectit, ad tollenda pondera nimis magna, ad dimouenda corpora grauiora e loco quodam in alium, ad ferenda onera e. s. p. quo in casu aegri plerumque de sono ac dolore tum in illa regione percepto conqueruntur, vbi struma oritur. Si hoc incommodum vt morbum glandulae consideremus, eaque medicamina adhibemus, quae in soluenda glandula




dula indurata, vel scirrhus curando usum praestant, apparebit nostrum auxilium irritum fore; sin vero reprimentia, et adstringentia statim ab initio applicamus, malum saepe tollitur *). Haec omnia, quaecunque jam proposuimus, demonstrant, dilatationem venarum causam proximam illorum morborum utique esse indicationemque eo dirigendam, ne plus medicamentis nocceamus, quam juuemus.

Neque minus in oesophago varices existunt, vnde deglutitio difficilis redditur; inveniuntur porro varicosae dilatationes venarum ad vuulam, vbi nimis magna vi inter deglutiendum adhibita oriuntur, formam variam, rotundam, ablongam, vel aliam assumunt, et si vel per os partes earum ejiciuntur, vel discinduntur, vt scio tale exemplum, collabuntur et sanguinem emittunt. Sic memini me duplici vice in vuula scirrhosa videre ejusmodi varicosas venas admodum multas, inque tota parte interiori ac posteriori oris ac faucium; et vix dubito, annon scirrhosae indurationes glandularum faucium a sola compressione per venas varicosas facta oriuntur. In deglutitione per varices difficiliore reddita omnia medicamenta emollientia nocent, gargarismate vero adstringente adhibito saepe impedimenta remouentur.

§. X.


*) Conf. hac de re: *Traité des maladies chirurgicales et des opérations, qui leur conuiennent*, par M. M. CHOPART et DESAULT cet. à Paris 1779. T. I. II. cujus libri versio germanica edita est Lipsiae 1783. vbi varia hujus incommodi exempla, praecipue Tom I. p. 359. commemorantur; it. O. ACREL l. c. passim. MORGAGNI, LIETAUD, cet. l. c.



§. XI.

Morbi pectoris ex varice oriundi.

Superius jam diximus, sanguinis regressum ad vasa majora atque cor retardari, vasa inde minora distendi et varicosa fieri, morbosque capitis inde proficisci. Videamus jam, annon in cauitate pectoris occurrentes morbi ex eodem fonte deducendi sint. Asthma, s. difficultas respirandi ex venis varicosis laryngis, tracheae et bronchiorum, vel pulmonalium venarum dilatatarum ortum suum saepe ducit, vti id obseruare licet in iis, qui scrophulosi et phthifici nascuntur, qui male conformata pectoris ossa habent, quorum cavitas pectoris inprimis a parte anteriori valde depressa inuenitur, vel eorum, quorum pulmonum lobi pleurae accreti sunt. Varias porro species haemoptoes, inprimis periodicae, chronicae et habituales, quibus feminae praecipue subjectae sunt, quae suppresso menstruorum fluxu laborant, ita vt mares, qui obstructionem haemorrhoidum patiuntur; nisi essent hae haemoptoes species ex venis varicosis, non per multos annos ferri comode possent; alia enim est conditio earum, quae ex rupto vase sanguifero oriuntur, quo in casu semper pulmonis laxa indoles laeditur, et vlcerum origini occasio praebetur. Ejusmodi hominum vasa pulmonalia venosa fere omnia varicosa post mortem inueniuntur; id quod, si sanguinem rejectum durante vita illorum disquirimus, jam suspicari possumus, nam grumi sanguinis cum sanguine tenui, fluido commixti, imo saepissime formam nodosi vasis referentes, sine vlla praegressa causa irritante, sponte quasi ac



fine magno incommodo exspuuntur, aegrique bene se habent, hac euacuatione facta. Exemplum ea, quae diximus, illustrans, communicatum mihi est ab amico quodam, qui praxin medicam cum laude exercet. Demandata erat curae ejus femina, quae de tussi, raucedine, ac sensu ingrato in ore conquerebatur, venae oris varicosae erant, et sanguine turgebant; sequebatur haemoptoe non adeo insignis per os, et tussis cessabat. Appellant hoc incommodum quidam haemorrhoides oris, vel haemorrhagias venosas, quarum causae principes varices, in illis locis ex haemorrhoidibus suppressis orti, esse videntur. Describit ejusmodi haemoptoem varicosam Cl. PORTAL *), quae tussim sequebatur per longum tempus sine damno, ubi dilatata vasa sine dubio glandularum pulmonalium scirrhus pressione produxerant. Pthiicos porro species vna aut altera sine dubio exinde originem ducit, si vel ob laxitatem visceris obstructions in systemate venoso hinc inde existentes, propter debilitatem venarum sensim augentur, vnde venae dilatentur et tumores varicosi oriuntur, necesse est, quam phthisin non immerito varicosam dicere possimus, ac cum phthisi haemoptoica, melancholica, hysterica MORTONI, et SAUVAGESII **) conjungere,

*) dans les Memoires de l'Academie royale des Sciences de Paris, a 1780. p. 315. inserta est haec tractatio in denen Sammlungen für practische Aerzte 10. B. 3. St. S. 404. u. f. MORGAGNI plura exempla hujus rei collegit in L. de Sed. et c. Morbor. epist. XV. sqq.


**) MORTONI Phthisiologia, vers. german. Helmst. 1780. SAUVAGES l. c. T. II. Cl. X. ord. 2. p. 451.

gere. Sic quoque post pleuritidem spuriam, et peripneumoniam, inflammatorios morbos pleurae et pulmonis in genere, vel incognitos, vel neglectos, vel male tractatos, haud dubie obstructions venarum in membranis, in tela cellulosa, ac substantia visceris ipsius remanent, quae diu latent, lente crescunt, et tandem, si vere tument, incommoda varia proferunt, nodos s. tubercula, scirrhos, vnde phthisis oriatur. Varicosae vero et ipsae venae majores, caua ac pulmonalis, fieri possunt: inueniuntur interdum magni tumores venosi sanguine repleti in partibus externis, qui vt effectus varicum internorum considerari debent; vasa enim interna partim telam cellulosam premunt, quae tumores format sanguineos, partim vasa externa, in quibus circulatio celerior redditur quoniam in interioribus lentior obseruatur, dilatat, vnde tumores ex variis lamellis, si dissecamus, efformantur, qui difficili ratione curantur, quoniam cum vasis majoribus internis coniuncti, euacuato sanguine semper iterum replentur; vel compressione externe applicata, respirationem anxiam efficiunt, et nullam omnino medelam admittunt, nam rumpuntur tandem impetu vno vasa majora, effunditur in cauitatem pectoris sanguis, et mors repentina sequitur. Oriuntur omnes illi tumores, qui saepissime pro aneurysmate habentur, plerumque ex leuissimis causis, ex ictu, compressione, vel motu praeternaturali corporis suscepto, vti id Cl. ELSE *) quibusdam exemplis illustrat;

D 3

strat;

*) Vid. the Works of the late JOHN ELSE, F. R. S. to which is added an appendix containing some Cases of the Hydrocele, by GEO.




frat; laeduntur vasa interna majora, relaxantur, dilatantur, imo rumpuntur, exinde tumores aliaque incommoda in externis partibus, vti jam dixi, gignuntur. Refero huc exemplum morbi in viro quodam obseruati, cuius indoles singularis erat nosque in indicatione saepe dubios reddebat, tandemque morte inopinata finiebatur.

Vir, cuius humores a natiuitate nunquam optimae indolis, per vitam sedentariam acriores redditi erant, a trigesimo circiter anno, inter varios leuiiores morbos ophthalmia chronica afficiebatur, quae per interualla grauior vel mitior, interdum tamen tam grauis erat, vt radios lucis, oculum afficientes, plane euitare cogere-
retur. Consilio medici ac chirurgi cuiusdam tunc temporis scarificatio oculi suscipiebatur, quoniam variculae palpebrarum, ac membranae conjunctiuae innumerae aderant; qua facta leuamen per quoddam tempus sentiebat. Dissuadebat alius medicus scarificationem, et praedicebat maiora mala, inde insecutura, aeger vero fidens huic medelae multum, eligebat operationem. Afficiebatur annis fere quinque post illam institutam febre


GEO. VAUX London 1782. 8. cuius libri versio germania prodiit Lips. 1784. p. 78. Huc pertinere videntur historiae morborum variae a M. A. SEVERINO in l. l. traditae in libro de selectis abscessibus, vbi partim quosdam tumores sub denominatione varicis partim sub aliis nominibus descripsit; ac figuris illustrauit. Cl. ELSE bene monet, chirurgos atque medicos hos tumores venarum accurate cognoscere debere, quo medicamenta iusta adhibeant, nam nisi ab initio, vt indoles eorum poscit, sed vt aneurysmata tractantur, euentus semper tristis erit.

febre catarrhali maligna, qua superata videbatur malum multum imminutum esse, ita vt per annum fere integrum nulla incommoda experiretur. Subito reuertebatur inflammatio, ac varices venarum oculi tumebant: oriebatur dolor summus, intus mescentia palpebrarum, ectropium s. extraversio palpebrae inferioris versus exteriora, exulceratio ejus, ita, vt verum cancrum verrucosum, de quo paullo ante dixi, referret.


Omnia fere remediis incassum adhibitis aeger usum eorum imposterum respuebat, et praeter diaetae regimen bonum, interdum remediis laxantibus, inprimis vero tempore vernali succis plantarum recenter expressis cum iusculeo carneo, ac aquis mineralibus laxantibus, similibusque remediis utebatur; ita vt annum quinquagesimum secundum aut tertium attingeret. Vitae conditio ac officium, quoungebatur, requirebant tamen, vt motum corporis raro exercere posset; vt multum ac diu loqui, plerumque corpore inflexo, deberet, vtque denique pars superior pectoris a vestimentis valide conprimeretur. Factum inde est, vt in parte sinistra colli ad partem superiorem ossis sterni, tumor parvus, non adeo mollis, vix conspicuus, magnitudine nucis auellanae paruae oriretur; cutis erat vbique concolor, nulla pulsatio ibi tangi poterat, nec magnum incommodum exinde sentiebatur. Hic tumor ex improviso subito incresecebat, respiratio valde anxiosa reddebatur, per interualla ab initio quidem, postea tamen continuo; anxietas augebatur, si tergo incumberet lecto, quaeque tam insignis per totum decursum morbi erat, vt ex causis in cauitate pectoris latentibus nec ex tumore



externe conspicuo ortum ducere posse videretur. Cum
 iam pomi parui magnitudinem tumor attigisset, aeger-
 que valde anxius esset, auxilium medicorum ac chirur-
 gorum imploravit, qui nos omnes, dubii de indole tu-
 moris, incerti eramus de remediis eligendis et auxi-
 lio ferendo. Alii tumorem cysticum, alii glandulam
 induratum ac scirrhosam esse putabant; applicabantur
 remedia emollientia, cum discutientibus coniuncta, sed
 nulla sequebatur mutatio, nec negligebantur medica-
 menta interna, sanguinem purificantia, aliaque. Tan-
 dem, cum integumenta tumoris insigniter dura essent,
 nam in aponeurosi muscoli latissimi colli, quae etiam ex-
 tensa ad partem supra tumorem erat, et duritiem atque
 tensionem eius augebat, consilium cepimus, illum ape-
 riendi; integumentis communibus cruciatim separatis,
 tumoris facies livida ac nigricans erat, atque tunica vere
 aponeurotica valde firma tecta. Nulla pulsatione in eo
 detecta, caute aperiiebatur, quo facto sanguis partim
 grumosus, coagulatus, partim fluidus adhuc emanabat:
 in integumentis duae parvae arteriae reperiiebantur,
 quae ligabantur, quoniam compressio earum non adhi-
 beri poterat, tumor enim discissus parum tantummodo
 cedebat, durus ac eleuatus potius restabat, nec sangui-
 nis fluxus cessabat. Separatis partibus cutis superfluis
 vulnus sanabatur paullo post, ac tumor euauit: omnia
 tamen symptomata eadem erant, conquerebatur de op-
 pressionem pectoris, respiratione anxia, et paroxyfmi fe-
 briles leuiores quidem, eodem tamen gradu vt antea,
 reuertebantur. Paullo post, nouus tumor rotundus,
 durus sub priore in conspectum prodibat, quem varii
 tumo-



tumores minores liuidi ad tractum totius ossis sterni sequebantur, et vsque ad abdomen ipsum extendebantur, in cuius pariter ac in colli integumentis innumera copia varicosarum venarum inueniebatur. Omnes hi tumores duri erant, glandulisque duris ac scirrhosis valde similes; simulac vero incresebant, fluidum in iis contentum digito admoto distinguere poteramus. Dubii autem et nos et aeger de euentu, vnico tumore eiusmodi excepto, quem adhuc aperuimus, reliquos intactos reliquimus. Aperiebantur quidam sua sponte et partim per suppurationem separabantur eorum integumenta, quo facto simul vidimus, inter quosdam horum tumorum nexum esse, inter alios vero nullum. Symptomata peiora reddebantur, tussis, raucedo, anxietas, cum febre lenta coniuncta accedebant, os sterni emollitum prominēbat, quasi vi quadam attolleretur, et aegri vires prostratae erant. Conquerebatur nocte de anxietate, praeternaturalique difficultate respirandi, e lecto surgebat, tussi vexabatur, et eiectionis tribus vel quatuor unciiis sanguinis partim fluidi, partim grumosi, ejusdem indolis, qualis aperto tumore primo effluebat, catarrho suffocatio subito moriebatur. Sectione, quam omnes optauimus, denegata, vera causa morbi nos latet, interim hoc certe contendere posse statuo, quod aneurysma non fuerit, id quod signa docebant et effectus. Vtrum vero tumor varicosus internus in vase quodam majore, an scirrhus in cavitate pectoris positus ramuli venae axillaris internae, quae ad cutem pectoris abi, compressionem effecerit, et his varicosis tumoribus ortum praebuerit; an varicosi tumores in abdomine horum



tumorum in pectore caussae fuerint, conijcere quidem, sed non certo pronunciare licet *).

Similem tumorem describit Ill. RICHTER in observ. chirurg. Fascic. III. cap. IV. *de raro tumore mammae*, p. 60. sqq. de quo contendit, se similem nullibi descriptum reperisse. „Femina triginta circiter annorum, tumorem „magnitudine juglandis nucis, mobilem ac inaequalem „in mamma dextra gerebat; quaesivit auxilium Ill. „RICHTERI et ab eo petiit, vt illum excinderet; ex „illo tumore ad papillam multi minores pisi magnitu- „dine tumores progrediebantur, versus inferiora, sur- „sum autem ex illo funiculus ad axillam procedebat, „tensus, durus, digiti crassitiem habens, sensim prope „axillam evanescens, vt finis illius haud distingui pos- „set. Quoties aegrota hunc tumorem digitis compri- „mebat et fricabat, profiliit ex papilla liquoris subrubri „aquosi satis insignis copia, quo facto evanuit series „illa minorum tumorum, major ille flaccidus collapsus „magnitudinis suae aliquid amisisse deprehendebatur. Ad „pristinam magnitudinem intumuit iterum intra paucas „horas. Dolore vexabatur vrente, quoties tumor ni- „mis intumescebat, qui expresso liquore collapsoque tu- „more evanescebat iterum.“ Causa huius tumoris
erat

*) Communicavi jam hanc historiam morbi cum amico, qui libellum Cl. ELSE in linguam vernaculam transtulit, qui etiam illam tra- ctationi Cl. ELSE p. 85. vbi de similibus tumoribus agitur, addidit.



erat suppressus per medicamenta fluxus haemorrhoidalis, quo ante plures annos femina laborauerat; non ita multo post illud tempus, indusii partem, quae mammas tegebat, sanguine tinctam inuenit, nescia, vnde sanguis huc peruenerit, vsque dum foraminulum detegeret in cute prope papillam, ex quo prodibat diu, antequam tumor in magnitudinem oui gallinacei excreuisset humor sanguinolentus. Praeter lapsis quibusdam mensibus subito tota mamma intumuit, ita vt ad axillam vsque extenderetur. Post vsum cicutae tumor mammae minor reddebatur, tumor vero descriptus nullo remedio adhibito cessit. Ill. RICHTER sub finem huius historiae morbi addit, se non credere, hunc tumorem fuisse scirrhusae indolis, sed ortum duxisse contendit sine dubio ex varicosa vasorum quorundam dilatatione, quare aegrotae operationem flagitanti abnuerit. Causa vero varicum ibi ortorum forte in suppressis haemorrhoidibus ei ponenda videtur, quapropter medicamenta ad restituendum fluxum haemorrhoidalem ei suadere maluit, de quorum effectu vero plura nescit.

§. XII.


Morbi abdominis et peluis ex ea causa oriundi.

Primum locum inter hos morbos facile tenet hypochondriasis ex varice orta, morbus ille diuturnus et molestus, qui hodie imprimis tam communis est, tamque innumeris symptomatibus stipatus, tamque varia sub forma apparens, vt sane summam attentionem me-



dicorum mereatur. Hypochondriasis, praecipue illa sanguinea inter varias alias species ex hoc fonte mihi deducenda videtur. Si enim certum est, in plethora semper sanguinem spissum reddi, facile etiam fieri potest, ut viscera ab eo obstruantur, atque adeo necessario sanguinis circulatio in vniuersum, ac in primis regressus ejus per venas impediatur, ac difficilior reddatur. Probant hoc omnia signa, hic occurrentia, capitis gravis dolor, dyspnoea, lassitudo, defuetae narium haemorrhagiae, suppressa catamenia, haemorrhoides parce fluentes, aliaque. Vomitus cruentus, quem omni tempore fieri contenderunt medici ex sanguine lienis per vasa breuia in ventriculum effuso, atque per os ejecto, obseruatur in iis, vbi haemorrhoides non fluunt, multos per annos, ita vt nihil damni adferat. Valde vero dubito an omnis sanguis sic per os rejectus hanc viam eligat: inuenimus enim nec in cadaueribus vasa haec breuia vel rupta, vel erosa, et plerumque lienem sanum, id quod, vt ego puto, illo modo non locum habere posset, post tantam, vt interdum fit, ac repetitis vicibus ejectam copiam sanguinis. Si respicimus ad totum systema venae portarum, in eo casu tanta copia vasorum varicosorum ex illo orientium reperitur, vt necessario compressiones partium, in abdomine positarum, ab hac causa proficisci debeant, et exinde dilatationes et obstructiones venarum ventriculi, ac intestinorum tenuium, vnde rejectio sanguinis illius grumosi ac coagulati, cum tenui interdum mixti sequatur. Venae enim hiantes in tela cellulosa, et cauis viscerum ipsorum inde compressae ac relaxatae, vel periodice, vel subito copiam sanguinis facile fundere possunt.

Obser-




Obferuamus hoc inprimis in iis, qui haemorrhoidibus illis faccatis, quarum Ill. THEDEN mentionem fecit, laborant, quae nifi recte tractantur, varicosis venarum obftructionibus ortum praebent. De reliquo certum est, in omnibus aegris, qui haemorrhoidibus laborant, quaecunque species earum fit, totum systema venae portarum debile esse, ramosque fere omnes, siue ad viscera, siue ad alias partes abeant, varicosi reperiri. Vt plurimum enim debilitantur a spasmō et strictione, vel ab acri quocunque quod irritationem excitare potest, quibus causis cessantibus tollitur quidem etiam effectus, sed dispositio ad laxitatem augetur, aptioraque fiunt vasa ad varicosam obftructionem, vel in eodem vel in alio loco corporis subeundam. Exemplo sint haemorrhoides coecae, quae in iis inprimis oriuntur, in quibus antea haemorrhoides fluebant; nunc vero iis vel sponte vel consulto suppressis, vasa venosa ani ex laxitate in modulos tam variae formae vel interne vel externe extenduntur. Nec alia conditio est haemorrhoidum mucosarum, quarum sedem in glandulis ac vasis lymphaticis quidem quaerendam esse puto; sed causa earum in vasis varicosis solum latet: vasa varicosa

E 3

sci.

- *) Confer. Neue Bemerkungen und Erfahrungen zur Bereicherung der Wundarzneykunst und Arzneygelahrheit von J. C. A. Theden, 1. Theil, Berlin, 1782. S. 56 u. f. vbi refert, se in diuersis aegrotis obseruasse faccos magnos, indolentes ex ano magnitudine pugni manus propendentes, scalpello et aperuisse. Docet illos homines multis incommodis, quae viscerum obftructionem indicabant, laborasse, quae postea cessarunt.



scilicet glandulas, vasaque lymphatica ad anum posita premunt et efficiunt, vt ille albidus, mucosus humor per illarum tunicas transfudet.

A ramorum venae portarum dilatatione destructio vnus alteriusue visceris non immerito deriuanda est, si decursum morborum quorundam attendimus. Fluxus hepaticus, lienaris s. spleneticus vti et sic dictus morbus niger Hippocratis, qui a Cl. SAUVAGES sub genere *Hepatirrhoeae* et *Melaenae* in Nos. meth. Cl. IX. comprehenduntur, ad illos pertinent. In fluxu hepatico cruento, vti dicunt, sanguis tenuis purus grumis intermixtus sine dolore vel febre fluit, quem saepe tumor hepatis antecedit; vel a distentis in hepate, vel ab erosis vasis oritur, id quod praecipue ratione primi momenti apparet ex eo, quod semper vasa varicosa in hepate, ac ramis venae portarum in sectionibus cadauerum detegimus. Idem valet de fluxu splenico atque ipso morbo sic dicto nigro Hippocratis, cuius quidem variae species existunt, de quo tamen hodie inter omnes constat, quod non bilis sic dicta atra, sed quod sanguis ex venis varicosis lienis ac vicinarum partium per alium fluat; videtur labes in sanguine, in vasis ipsis adhuc contento, obstructionem faciente et resoluto, quaerenda esse, vnde omnia haec incommoda oriuntur.

Liceat mihi pauca hic addere de varicibus, hinc inde ab Auctoribus, in regione abdominis obseruatis. Legitur singulare exemplum apud M. A.




SEVERINVM *) et in Mart. BOGDANI observat. medic. **).

SEVERINVS in tota regione hypogastrica, ac in femoribus junioris hominis rete quasi turgentium venarum varicosarum observavit, quae post casum ex alto ortae erant, scribit nimirum, „quassatum vno impetu sanguinem ac versus inferiora propulsum distendisse omnia „vasa venosa eaque laxa reddidisse. Quid? quod et „in partes inferiores factum corporis praegravatum atque „concussum, varicosas dictas dilatationes, onera bajulantibus cursoribus, ligones exercentibus excitare „compertum est.

BOGDANVS historiam tradit mulieris quadragenariae, quae abdomen turgidum octo annos sine incommodo habebat, cuius omnem culpam ipsa in suppressis menstruis haerere coniciebat. Cum vteri hydropem putarent omnes esse, paracenthesin commendabant: anteream vero mulier moriebatur, et sectio cadaueris instituebatur. Vix cute pertusa, foetidae seroso sanguineae colluuii copia ad libras XX. medicas profuliebat, quae inter abdominis musculos ac peritoneum continebatur, atque

*) in l. c. libro de noviss. observat. abscessibus §. 13. p. 227. *de varicibus infimi ventris ac femorum mire implicatis.*

**) vid. Mart. BOGDANI Med. Bernens. *Observationes anatomicae ad Thom. Bartholinum.* edit. c. M. LYSERI cultro anatomico, Erctt. 1579. 8. no. XI. p. 224. *de rara hydropis specie.*



atque ex venis epigastricis tempore menstrui fluxus ejecta erat. Istarum venarum extremitates tubercula, nuci auellanae similia, habebant, ac si papillae essent, eademque scissa. Putarant omnes, vterum laebe affectum vel sedem et causam huius morbi in ea esse, attamen patuit, varices venosos morbum peritonei effecisse *).

Data mihi nuperrime est occasio fere idem et huic morbo plane similem casum obseruandi, atque asserto Ill. WALTERI assentiri, qui dicit, nos latere adhuc multas morborum peritonei ac vasorum causas et sedem. Traderem hic quod obseruauis sed alii scribendi occasione cum nimis longa descriptio huius rei foret, eam seruabo.

§. XIII.


Morbi vesicae ac partium genitalium.

Pauca adhuc jam addere constitui de vasis varicosis vesicae, et partium in pelui contentarum. Tubercula haemorrhoidalia, quae vulgo dicuntur haemorrhoides vesicae, constituunt tubercula nodosa, varicosa, quae obstaculum faciunt in applicando cathetere propter vrinae retentionem. Communis est hodie hic morbus, multo communior, quam vulgo putamus; qui si male tracta-

*) Legi meretur de hac re Ill. I. G. WALTERI Tract. de morb. peritonei et apoplexia, Berolini 1785. 4to c. tab. aen.


tractatur, saepissime lethalis fit. Similiter mictus cruentus interdum ab haemorrhoidibus fluentibus oritur, aequae ac fluxus catameniorum spurius ex vasis varicosis vaginae ac vteri ortis. Horum dictorum exempla plura proferre possim, cum saepe illum morbum tractare mihi permissum fuerit, sed nunc praetermittam et hoc tantum monebo, nisi symptomata haemorrhoidum bene tractentur, atque causae harum vel abigantur, vel symptomata saltem leniantur; nisi vno verbo methodus curatoria antiphlogistica eligatur, exitum morbi plerumque tristem esse.

Exitus urinae per urethram illaesis renibus ac vesica impeditur interdum per obstacula, quae in urethra, disquisitione instituta, deteguntur; insigniuntur plerumque nomine caruncularum, atque intelliguntur per eas vel glandulae induratae vel excrescentiae carneas internae partis urethrae. Quamquam equidem nonnunquam, imprimis in iis huius indolis sint, qui morbis urethrae venereis vel aliis laborauerint, tamen experientia edocemur, et hic loci vasa venosa varicosa impedire, quo minus urina exeat. Si enim semper prominentes carunculae aut glandulae scirrhosae essent, non cederent, ut interdum fit sua sponte vel applicata venaesectio, vel roborantibus, nec reverterentur periodice, nec denique post usum catheteris, uti ipse exempla talia scio, statim urina cruenta, et postea vasa varicosa abrupta et exulcerata fecederent. Quod ad vasa vteri spectat, copia venarum,



vti notum est, insignis deprehenditur, quas non raro varicosas in feminis, quae inordinato fluxu menstruorum laborant, detexi. Memini me sectioni intra quosdam annos duarum juniorum feminarum adesse, quae appropinquante fluxu menstruorum, semper tristitia imo melancholia affectae fuerant, denique accedente fluxu eorum aquae submersae erant, vbi, sectione instituta, vteri vasa valde turgentia in primis in vna harum feminarum, vterumque exinde ipsum turgentem deprehendimus. Nonne forsan interdum varices, hic orti, vt causae melancholiae, nonne forte ii vt causae mali hysterici, vel saltem specierum eius, considerari debeant, cum pressione ex iis orta nerui patiantur, necesse sit? ita vt ex pressione earum in vasa lymphatica vteri facta, hydropem eius, ex pressione in eius acuaginae glandulas facta, fluorem album benignum feminarum, quae nulla certe labe affectae sunt, quemque propterea forte non immerito haemorrhoides mucosas vteri appellare possimus, oriri, compertum habemus. Sed relinquo haec, quae dicta sunt, aliorum disquisitioni, cum vltiora obseruata anatomica ac in morbis attendenda rem forte in posterum magis dilucidatura sint.

Restat, vt nunc de sic dicta varico-seu cirso cele dicam, quae ob causas varias, atque ob effectus attentionem meretur. Hic morbus, saepissime occurrens nostris temporibus, ex variis quidem aliis causis, potissimum tamen ex obstructione viscerum infimi ventris, et ex venis varicosis ortum suum ducere




cere videtur. Morbus quidem *) ex sententia Ill. RICHTERI aliorumque, epididymidis est, atque illa innumera vasa tumentia pro effectu morbi habenda videntur esse venae varicosae. Certum est, si causas varias spectemus, ex quibus oritur, primam inter causas occasionales semper quaerendam esse in dilatatione ac tumore venae spermaticae, quae varia ratione, vti statim dicemus, relaxari afficique potest, qua obstructa atque varicosa facta, regressus sanguinis venosi ex testiculo ac epididymide impeditur, vnde omnes illae venae turgent, ac molem interdum tam ingentem in scroto contentam generant. Hanc causam, quamquam antea aliter sentiebat Ill. RICHTER, jam vt primariam assumit; obnoxii inde huic morbo imprimis sunt hypochondriaci, quorum viscera digestionis debilia, ac quorum nerui imbecilles ac nimis sensiles sunt, indeque forte etiam dolor et in parte affecta et in testiculo alterius lateris deducendus est, quem Ill. RICHTER tam violentum describit, quem tamen nunquam, nisi a causa hypochondriaca orta esset cirsocele, nec aliis medicis mihi amicissimis nec mihi obseruare licuit. Sic quoque in lasciuis, ac in iis, qui vitio illo tam detestando, quam nociuo onaniae se commaculant, quique inde insigniter debilitantur, saepe occurrit ille morbus,

E 2

ia

*) Conf. Ill. RICHTER, in observ. chirurg. Fascic. II. cap. III. de herniis, p. 22. sqq. in Nov. Comment. reg. soc. scient. Goetting. Tom. II. it. a System of surgery by BENJ. BELL, Vol. I. Edimburgh, 1783. 8. cap. de cirsocele.



in quibus omnibus varices venosi, ob regressum sanguinis difficilem redditum semper interne ac externe occurrunt. Bracheria vel male constructa, vel in incipiente cirsocele applicata, vbi tamen nullum plane usum praestant, quae saepe cum aliis herniae speciebus, imprimis cum epiplocele confunditur, morbum augent, imo per pressionem ad vasa spermatica factam illum generare et sphacelum, quem mors sequitur, efficere possunt. Nec minus a testiculo venereo male curato, nec non a testiculo per pressionem scirrhoso facto, oriri eam vidi, cuius vnicum exemplum insigne propterea memoratu dignum mihi videtur, quoniam suppuratione destruebantur vasa varicosa, relicto scirrhoso testiculo, id quod rarissime accidit. Occurrit denique species testiculi tumescentis orta post erysipelaceam inflammationem capitis, cuius CULLEN mentionem facit, quamque interdum in aegris occurrere vidi, vbi vasa venosa dilatata sunt ac tument, si in eo symptomatico morbo, vti a medicis aut chirurgis imperitis fit, vel medicamenta incongrua, imprimis mercurialia, adhibentur, quoniam plerumque pro testiculo venereo habetur, vel bracheria, loco suspensoriorum commendantur, varicocele inde gigni facillime potest.

Cogitanti mihi denique de causa tam celeris incrementi fistularum ani, ab haemorrhoidibus ortarum, putavi saepe, annon tunc fistula in ipsum vas venosum haemorrhoidale proserpens canalem relaxare, destruere, et suppurationem augere possit, ita vt
 pars

pars inferior tota vasis varicosi vt fistula ipsa confideranda sit.

§. XIV.

Possẽm adhuc differere de variis tumoribus varicosis externis, imprimis hysteriarum ac grauidarum feminarum, de erysipelate orto ex varice in hypochondriacis, vel haemorrhoidibus coecis laborantibus, in feminis, quae suppressione mēstruorum laborant, de varice aneurysmatico HUNTERI de ecchymosi post venae sectionem, de varicomphalo quorundam, deque varicum ruptura in erysipelate orta; sed cum partim limites scriptiunculae hujus non permittant, partim passim ab auctoribus notatu dignissima in lucem edita sint, subsistam in his, quae proposui et, paucis de ratione medendi additis, finem imponam tractationi.

Remedia, quae in externo varice sub initio cum fructu adhibentur, sunt reprimentia ac roborantia, inter quae eminet aqua frigida, spirituosa, acida, et fascia, quam Cl. THEDEN *) commendauit, cujusque justam applicationem optime descripsit; in progressu morbi vero sal ammoniacum solutum, vel aliud hujus generis medicamentum, resolutioni sanguinis in varice contenti, coagulati atque indurati, accommodatum, vel denique, nisi malum nimis inueteratum sit, vbi nulla me-

F 3

dela

*) Conf. Neue Bemerkungen 10. S. 1.



dela locum habet, ad aperiendum tumorem, eumque comprimendum nos accingere debemus. Quod ad vero curam internorum varicum spectat, ea multo difficilius videtur, quam externorum: ea autem, ad quae praecipue attendendum mihi esse videtur, huc redeunt: Detegendae sunt caussae, quibus regressus sanguinis retardatur, vel impeditur, hae positae sunt vel in fluidis nimis spissis, vel in solidis nimis laxis; inde in priori casu viscerum obstructions soluentia, in altero roborantia atque adstringentia prae reliquis praestant.

